



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

II. Suspiria ad Spiritum Sanctum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

munia sanctè peragam ; semper ex spiritu cogitem, ex spiritu agam, ex spiritu loquar magnalia Dei.

11. Suspiria ad Spiritum Sanctum.

Veni Sancte Spiritus, Legislator optime, Legem timoris servilis in me dele & legem charitatis divinæ omnium fidelium cordibus inscribe.

Veni, ô Spiritus veritatis ! & omnem veritatem me doce; detege fallacia mundi principia, vera carnis blandimenta & diaboli nociva mendacia ; ut tua amplectar sancta dogmata.

O fiat repentè de cœlo sonus ! qui res totumque mundum percellat, atque è vorterno tepiditatis, ac peccati lethargo non exciter.

O Lingua ignea ! descende super me, & velut carbone ignito linguam meam tange, ut à vitis purgata vel de Deo, vel cum Deo ardentè semper loquatur.

Veni, ô Divine Auster ! perfla hortum animæ meæ, & fluent virtutum aromata.

Veni, ô Spiritus vehemens ! totamque domum mentis meæ reple : concupiscentiarum mearum ardorem tempera : imper-

fectio-

fectionum paleas exsuffla : & cymbam animæ meæ ad portum perfectionis & felicitatis æternitatis suaviter & efficaciter dirige.

Veni, ô ignis & flamma divini amoris ! & omnium mortalium pectora succende, purificer à te, ut purificem alios; illuminer à te, ut illuminem alios; accendar à te, ut accendam alios: ideo enim de cœlo mittaris, & quid vis nisi ut accendamus?

FERIA III.

Suspiria pro impetrandis 12. Fructibus Spiritus Sancti.

I.

O Salvator dilectissime ! mihi mox in dulcissimo Eucharistiæ Sacramento intimè conjungende: Tu arbor es cœlestis paradisi adferens fructus duodecim per menses singulos. *Apoc. 22.* Ego verò sum oleaster inutilis ac sterilis; quare instantissimè obsecro; inserar in te velut in bonam olivam, ut fructus bonos & copiosos proferam. Tu vitis, nos palmites: tu oliva fructifera, nos steriles: tu arbor vitæ, nos mortis propagines: ah inserar in te, uniar tibi, ut auxilio & favore tuo fructus no-

N 4

VOS